

duravit.<sup>22</sup> Etiam forma organisationis aliquo modo magis faciem missionis ostendit quam Hollandia; nam ibi, testante Leone XIII, cura pastoralis in forma parochiali et simplicis missionis seu stationum missioniarum usque ad a. 1881 perduravit.<sup>23</sup> Potestas Vicariorum Apostolicorum variabat pro majori vel minori gradu exemptionis ordinum religiosorum eorumque missionariorum,<sup>24</sup> donec Benedictus XIV sua Constitutione »Apostolicum Ministerium«<sup>25</sup> limites potestatis utriusque partis bene determinaverit. Ille quasi omnia ad tramitem juris communis et suae Constitutionis »Firmandis« reduxit. Potestatem Vicariorum Apostolicorum eandem esse dixit ac episcopi dioecesani: »Sed ut ad Vicarios Apostolicos revertamur, praeter eam omnem auctoritatem, quae ipsis communis est in propriis confiniis cum quolibet ordinario in sua civitate et dioecesi...«; ac iterum, Vicarii Apostolici in Anglia positi sunt »cum omni auctoritate, quae competit cuilibet ordinario in sua civitate et dioecesi«.<sup>26</sup> Ideo habebat potestatem etiam leges ferendi.

<sup>22</sup> Halsall, o. c. 42 sq.

<sup>23</sup> Constitutio »Romanos Pontifices«: »At Britaniae missiones generatim in paroecias ad juris tramites erectae non sunt: idcirco sacrum Consilium christiano nomini propagando anno MDCCCLXVI officium applicandi missam pro populo ad episcopum pertinere censuit, propterea quod dioecesum britanicarum non ea sit constitutio, ut in veras paroecias dispositae sint« cfr. Acta O. F. M., I (1882) 53.

<sup>24</sup> Sic a. 1627 C. S. Officii cassavit decretum Vicarii Apostolici quo, ad normas Conc. Tridentini, sess. XXIII, c. 15 de ref., prohibuerat religiosis confessiones saecularium excipere absque sua praevia approbatione. Rationem talis annulationis adducit, Vicarium videlicet Apostolicum Angliae non esse ordinarium sensu Tridentino, ideoque neque missionariis a S. Apostolica in Angliam missis necesse esse illius approbationem expectare (Halsall, o. c. 43—44); insuper Urbanus VIII a. 1633, sua bulla »Plantata« speciale privilegium exemptionis concessit Benedictinis (*Jus Pontificium de Prop. fide*, I, 148—154); hanc postea Innocentius XII revocavit atque regulares quoad confessiones saecularium excipiendas, curam animarum et sacramentorum administrationem Vicariis Apostolicis subjecit (Halsall, o. c. 44—46).

<sup>25</sup> »Apostolicum Ministerium« die 30 Maji 1753, Gasparri, *Fon-tes*, II, 390.

<sup>26</sup> Gasparri, *Fon-tes*, II, 392, 395.